Quelle: http://manuscripta.at/?ID=912
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

a somno surgens, mirari cepit quando illuc aduenisset.
Sanctus uero domini ait ad illum. Non tuis huc pedibus sed alienis delatus
es manibus; sed perge quantocius ne forte tua absentia opus intermit
tatur. Illo itaque egresso, Florus qui in parte cum Simplicio
monacho stans, cuncta que uir domini egit uiderat, con
cito cursu adueniens, seque ad pedes eius proiciens, clamare
cepit. Uere discipulus es sancte Maure beati Benedicti, de
quo talia frequenter narrare audiuimus. Ex illo die isdem
Florus ita eum in maxima habuit admiratione, ut
numquam ei propius accedere auderet. XVII.

Ita que cum clericus qui sanatus fuerat ad opus suum
fuisset reuersus, quidam ex operariis beato Mauro
detrahere ceperunt, dicentes eum non religionis ob
tentu, sed gratia cupiditatis quo honoratior esset in aliis
regionibus, suum reliquisse monasterium, ut tam longinquas
adisset terras, et hec que faciebat non uirtute dei sed
quibusdam obtinere precaminibus. Cum ergo hec inter se sermoci
narentur, malignus spiritus .iii. ex illis subito inuasit, ac ita gra
uissima uexatione torquere cepit, ut uni ex illis nomine
Flodegiso animam extorqueret. Quod ubi uir domini id quod
euenisset agnouit, uehementer flere cepit, iterumque ora
torium beati Martini ingressus, attentius dominum tam pro his
qui torquebantur, quam pro illo qui mortuus fuerat deum depre
cabatur. Et cum per tres continuas horas orationi incubuisset.